

## IVLIVS CAESAR.

**D**iuo Iulio Cæsari, hoc in primis etiam ab hostibus datum scio, ut memoria polleret eximia, de qua M. Tullius ait: quod nihil soleret præter iniurias obliuisci: & legere simul, & scribere, & audire, & dictare solitus traditur: Epistolas de rebus maximis, quaternas dictabat aliis, ipse manu propria quintam scribens, ac si calatum eximeres, septenas pariter dictabat: quæ quidem velocitas, an volubilitas promptissimi ingenij, an amplissimæ firmitas memoriaræ dici mereretur, incertus sum. Siquidem celeritas ingenij, tenacitas memoriaræ laus est: Quodlibet ei nomen impo- sueris, magna res in primis & mirifica, tam facilè singulis adesse, tam fideliter omnium meminisse.

## Q. F. MAXIMVS.

**N**Ec sum nescius huius quoque rei singularem Q. F. Maximo laudem contigisse, inter multa nimirum, quæ ipsius viri gloriam extollunt, hoc non in ultimis potuerim, quod ingenti quadam fuit notitia vetustatis ac memoria, de qua est apud Ciceronem, quod omnia non domestica solum, sed etiam externæ bella e. j.